Historia Scholarum

~~Paedag: 734.~~

Vratislaviense gymnas. Magdalenaeum.

Fechneri Joh: Parallela Graecorum et Germanorum et 1658.

J. F.

PARALLELA GRÆCORUM ET GERMANORUM,

IN ACTU ORATORIO

GYMNASII MAGDALENÆI,

MEMORIÆ VIRLINGIANÆ

dicato,

A. C. clↄ IↄcLVIII. Prid. Cal. Mart.

Hor. ab 8. matutin.

explicanda

indigitat

M. JOHANNES FECHNERUS.

WRATISLAVIÆ,

Typis Baumannianis exprimebat

Gottfried Gründer.

Lectoribus Candidis Salutem, Observantiam, Amorem.

MAgna Latio cum veteri Græciâ intercedit cognatio, quod eos, qui litteris humanioribus sunt innutriti, minimè latet. Negat quidem P. Cato in Origg. Italiam à Græcis ortam, traditq; eandem cæpisse sub Principibus Diis, Jano, Camese, Saturno; gente Phœnice & Sagâ, quæ prima per orbem miserit colonias. Sed ut hoc Censori Romano largiamur, antiquos nempe Italiæ populos, Opicos, Volscos, Ausones, Umbros, Aborigines non debere Græcis origines: tamen ex fide Historicorum non Græcâ, sed Romanâ constat, Græcos complures Colonias in terram Italiam traduxisse, quæ exinde, ut ex Strabone & Trogo liquet, Græcia magna est appellata: quod nomen postea illi tantum oræ mansit, quæ hodie Calabria superior dicitur. Nimirum non in extremo saltim illo angulo hæserunt Græcorum Coloni, sed Oenotro duce in meditullium Italiæ, h. e. ipsum Latium se penitrarunt, & Latinis fuere permixti. Ex hoc duarum gentium coagulo Lingvarum quoq; cognatio est exorta. Testantur enim exquisitissimæ lingvæ Latinæ origines à viris eruditissimis summo studio investigatæ, quod multæ voces Latini sermonis Græcis è fontibus sint derivatæ. Nam togæ frequenter pallium est inductum, & non tantum disciplinæ Græcorum in Italiam tralatæ, sed & dictiones eorum complures Latinitate sunt donatæ. Quemadmodùm verò Latina Lingva Græcis multa debet, ita aliæ etiam

Lingvæ

Lingvæ ab iis non paucas accepiſſe voces creduntur. Puteanus Svadæ Atticæ Stator producit in Oratione de Facilitate Græcæ Lingvæ vocabula non nulla ſermonis Italici, cujusmodi hodie in uſu eſt, quæ Græcorum agnoſcant natales. Gloriantur etiam Bayſius & Budæus eruditionis conſummatisſimæ viri, Gallos ſuos ab antiquo fuisſe φιλέλληνας, argumento quarundam vocum, quæ Græcæ lingvæ veſtigia conſervent. Si verò quis Italica illa & Gallica verba, à laudatis laudata viris, accuratius expendat, cognoſcet ea non ἀμέσως Græcis esſe tribuenda, ſed partim Latinis, partim Celtarum poſteris, ſive Germanis antiquis; Gothis, Longobardis, Francis; qui ſuperatis ab ſe gentibus mixti Lingvam quoq; ſuam cum ipſarum Lingvis confuderunt.

Rectius Germani ſuam cum Græcis affinitatem jactare poterunt, quorum in Lingvâ, quæ non hybrida; ſed verè germana plura indubitatioraq; Symbola vocum ex uberrimis Græcæ Lingvæ fontibus ſcaturrientium extare deprehendimus. Hadrianus Junius, Græcarum doctrinarum exequentisſimus perveſtigator, congesſit inter alia in Animadverſionibus ſuis catalogum dictionum Germanicarum, à Belgis receptarum, quas Græco cecidisſe fonte non obſcuris arguit τεκμηρίοις. Belgicum verò idioma congruit ferè cum Gambriviâ dialecto, quæ in vocum pronunciatione atticisſat quandoq;, uti Norica δωριστὶ vocales quasdam efferre creditur. Memorat C. Tacitus, providentisſimus Scriptor, in De Germaniâ, opinatos esſe quosdam, Herculem & Ulyxem adîsſe terram Germaniam, monumentaq; & tumulos quosdam Græcis litteris inſcriptos in confinio Germaniæ Rhætiæq;, ſuâ tempeſtate, extitisſe, quæ argumento esſe potuerint, Germanos à Græcis esſe ortos. Sed Hiſtoricus illorum potius opinionibus accedendum esſe cenſet, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum gentium connubiis infectos propriam, ſinceram & ſui ſimilem ſemper fuisſe

 gen-

gentem arbitrantur. Germaniæ enim ſplendida fuit origo, & dicta eſt Theutonia à Teut, ſive (dialecto Cimbricâ) Tuit, quod idem eſt ac Θεός, i. e. Deus. Inde Germani olim hodieq; notisſimâ voce appellantur Teutiſci, Latinis corruptè Teutones, à gentis autore, qui, prodente Tacito, fuit Tuiſton, rectius Tuitſon, vel Teutſon, i. e. Dei filius, Gottes Sohn; cujus nomenclaturæ fuit quidam Gothorum Rex, quem Horatius & Svetonius Cotiſonem vocitant. Hinc liquet Cæſarem ſimili vocum ſono deceptum esſe, cum in Comment. de Bello Gall. ait, Gallos à Dite patre ſe prognatos prædicasſe. Ditem enim ignorabant, Tuitſonem verò, vel Tuit illum, quem Livius Teutatem appellat, patrem agnoſcebant. Galli autem uti & Hiſpani, Britanni, Dani, Normanni, & Sviones priſci fuere è natione Teutiſcorum & Celtarum, quod commune fuit iſtarum gentium nomen, ut Cluverius in Germ. Antiq. oppidò probavit. Quamvis verò Germani plurimis locorum intervallis à Græcis ſint diſcreti, præ cæteris tamen nationibus ipſis Lingvâ, Diſciplinâ, Moribus prorſus ſunt pariles. Lingvæ certè utriusq; gentis ſunt affines & pulcrè, ut ita dicam, ſororiantes. In eisdem enim occurrunt pasſim vocabula uſu tritisſima, de quibus dubites, num ex Hellade in Germaniam, an ex Germania in Helladem ſint traducta. Parallelarum hujusmodi vocum indicem concenturiare hîc nolo: Nam hoc prolixisſimam feriati ingenii requireret operam. Hoc tamen diſcriminis intercedere videtur, quod Germani frequenti conſonantium concurſu Jonicam vitant disſolutionem, omnesq; vocum ſyllabas ſonorè, fortiter, maſculè pronunciare amant. Nempe dictio virilis decebat Mannos, Hermannos, Allmannos; uno verbo, Germanos. Et voces iſtæ (Tacito etiam judice) virtutis videntur esſe concentus. Affectabant majores noſtri ſoni aſperitatem, quò plenior & gravior vox intumeſceret. Cæterum Germanici

ſer-

ſermonis ſtructura idiomati Græcæ Lingvæ apprimè congruit, ita ut complures helleniſmi receptisſimis idiomatis Germanici formulis rotundè, concinnè, plenè exprimi posſint; quod Latinis ſæpenumerò eſt negatum, qui non raro unam Græcorum vocem non niſi periphraſtico verborum ambitu effari ſciunt. Teſtes laudo interpretes πολυγλώττους, qui libros Græcorum Latinè vertunt: Hi dum ſecundum litteram, ut loquuntur, omnes Græcorum formulas interpretari connituntur, hujusmodi plerunq; dant verſiones, in quibus Latini ſermonis γνήσιος color non apparet. Sed iidem libri Teutonicum in idioma transfuſi, non tralatitiam, ſed archetypam ſpirant gratiam, quæ ex ipſis Græcis fontibus in noſtram lingvam lympidisſimo ſe inſinuat ſenſu. Non reſpuit mundum Græcanicæ Pithûs Germania, quæ literas ſerò quidem accepit, ſed ſemel acceptas feriò coluit. Antiqui Germanorum, cum esſent lacerti pugnacis tantum ſtudioſi, ſecreta litterarum penitus ignorabant, & præter Barditum, ut vocat Tacitus, i. e. rude & inconditum carmen, quod in prælium ituri cantabant, nihil habebant, quo illuſtria Heroum ſuorum facta memoriæ commendarent. At hodie Germani poſtquam eadem manu pilum & ſtilum tractare didicerunt, ſolerti & exquiſitâ induſtriâ Eloquium Lingvæ patriæ ad eum provocarunt cultum, ut ad ληκύτους Atticorum videatur expolitum. Nonne Poëtæ noſtri merè Germani allaudabili operâ & ope frugiferâ cum Muſis totum Heliconem è Græciâ in Hercinios ſaltus transtulerunt & meritò Pythiam ſibi vendicant laurum? Neq; idcirco ſegnior facta eſt Teutonia in aſpero militiæ ſtudio: Nam partam illam Majorum fortitudine gloriam manu duellicâ ſtrenuè tuetur. Juventus apud Majores noſtros in asſiduis belli præludiis exercebatur. Unum opus illi erat arma peritè tractare, haſtas, vel ipſorum vocabulo, frameas, enixè quasſare, misſilia directè ſpargere, inter infeſtos gladios ſaltu

nuda jactare corpora, congruente ad equestrem pugnam velocitate pedum procurrere, equitando recto cursu provolare. Hæc erant illa militiæ tirocinia, quibus Taciti ævo adolescentes Germanorum ad grave Martis opus præparabantur, ut frameam illam cruentam & bellatorem equum, fortitudinis invictæ præmium accipere mererentur. Hinc nata videntur equestria & ab Henrico Aucupe instaurata certamina, in quibus cataphracti equites intentis lanceis in modum seriæ pugnæ ex adverso concurrebant: unde præcipuum illud equestris ordinis decus ortum, quod galeæ clypeiq; in gentilitiis nobilium familiarum insignibus evidentissimè commonstrant. Apparent nempe & hîc vestigia Gymnasmatum martialium, in quibus Græci olim juventutem suam semper occupatam volebant. Illam enim non tantum domi in hippodromo equitando; in palæstrâ luctâ, cæstu, pugillatu; in stadio cursu exercebant: sed & in solennibus istis Olympiorum ludis producebant, ut in publicâ totius Græciæ panegyri victricem illam coronam mereri contenderent, quod brabeum illi summum & propè divinum censebant honorem. Nam sacrorum certaminum victoribus, quos Elea domum reduxit palma cœlestes, ut HoratI dicam verbis, publicas in foro statuas dicari mos erat. Ita Græci pubem ad gloriam armis belli parandam accendebant: Quid enim agones illi pentathli fuere aliud, quam ut Pindarus vocat, ἀκρόθινα, i. e. primitiæ belli, quo in gerendo & exequendo tàm strenui fuêre, ut sæpe exiguâ manu innumerabiles barbarorum copias funderent. Testis præter alias plures pugna Marathonia, ubi Atheniensium decem millia decuplicem hostium numerum profligasse à Cor. Nepote scribuntur. Eadem virtus bellica clarat & Germanos, quibus jam olim pigrum visum & iners sudore acquirere, quod possis sangvine parare, quin ultrò exteras nationes bello petiêre. Ita post Gothos Lombardi Italiam, Franci & Normanni Galliam,

Angili

Angili Britanniam invaſerunt, & maximas regnorum illorum partes ſibi ſubjecerunt. Neq; elangvet hodie in poſteris illa bellandi gloria: quippe ſine militibus Germanis nulla ferè bella in orbe Europæo geruntur, ut qui in bellum, tanquam prælium eunt, in acie ſtant immoti, & cedere neſcii cum hoſtibus numero longè ſuperioribus non tergo, ſed forti pectore cupiant eſſe noti. Ideo Carolus V. glorioſiſſimæ memoriæ Imperator in corpore militari legendo à Germanis pectus ſumendum providenter ſtatuit: horum enim uti fortitudo, ita fides in ducem, præcipuum militiæ ſacramentum, abundè innotuit. Ac licet in hoſtes quandoq; ſint duri, tamen in hoſpites, exemplo Græcorum, ſemper ſunt & fuêre comes. Convictibus enim & hoſpitiis nulla alia gens olim hodieq; effuſius indulget, adeò ut propter amicas & largiores invitatiunculas apud exteros traducatur vulgo Germania. Sed hoc vitium magnis emendat virtutibus, præſertim integritate, probitate, & quod caput eſt, orthodoxâ pietate, quam pari cum Græciâ ad Chriſtum converſâ Zelo propagat.

Hæc Græcorum & Germanorum Parallela breviter jam prælibata, Die craſtini, cum Deo, ſermone ſoluto explicare meditamur, ut B. Matth. Virlingi ultimæ voluntati ſatisfacturi juventuti Germanæ Studia Græcarum litterarum commendemus. *Vos, itaq; Viri Magni, Clari, Boni, Docti, Patroni & Fautores Litterarum plurimum venerandi & honorandi, ſubmiſſè ac obnixè rogamus, ut Cras indictâ in fronte Programmatis hujus horâ, Acroaterium noſtrum inviſere & benignam auſcultationis operam nobis indulgere dignemini. Pro qua προθυμίᾳ Vobis Obſervantiæ & Cultus honorifici promtitudinem, ſedulò pollicemur, Deum Opt. Max. orantes, ut Vos incolumi cum Republ. incolumes quam diutiſſimè conſervet.*

P. P. proprid. Calend. Mart.
A. C. cIↃ IↃcLVIII.

Dicent.

Dicent.

1. *Præceptor, de Parallelis Græcæ & Germanicæ Linguæ;*

2. *Discipuli, (Adolescentes & Pueri) de Conformitate Græcorum & Germanorum, in*

   1. *Studiis liberalibus,*
      1 *Sapientiæ,* Joachimus Thilisch/Vratislaviensis.
      2 *Eloquentiæ,* Gotofredus Gebauer/Wolaviens.

   2. *Certaminibus athleticis,*
      1. *Junctim omnibus,* Esaias Goskius, Winzigiens.
      2. *Separatim solennibus,*

Jonathan Herr/ Samuel Holst/ Samuel Prasse/ Ferdinandus Buchwälder/ Daniel Senfftleben/	Vratislavienses.

   3. *Bellis fortiter gerendis,* Christophorus Beccerus, Freistadiensis.
   4. *Moribus, præsertim homileticis,* Tobias Hartmannus, Freibergensis.
   5. *Pietate orthodoxâ propagandâ,*
      Daniel Spigelius Vratislaviensis.
      Georgius Bartschius, Vratislaviensis.